Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36453
Copyright: Melk, Benediktinerstift



coniugium tradere ut cum didicerit esse maritus obliviscatur esse christianus. Nam istas tenebras et afflictiones quas ad supplicium illi te credis inferre, christi ad laudem et perpetuam gloriam sibi estimat evenire. Audiens Polimius iubet triclinia vestibus sericis strata preparari. ipsum quoque auferens de squalida illa et tetra habitatione induit vestibus et ornamentis compositis. et ponens eum in triclinio. elegit quinque pulcherrimas virgines ex ancillis suis et accuratissimis vestibus et ornamentis composuit. et simul eas cum Chrisanto constituens. iussit cottidiana convivia affluentissimis dapibus exhiberi. Puellis autem interminatus est dicens. nisi eum iocis vestris et amplexibus ab intencione christianitatis separaveritis. diversis vos faciam interire suppliciis. Agitur inter hec ludibria vir dei immobilis animo. et delicias quasi stercora contempnebat. puellas autem virgines quasi viperas perhorrebat. Iacebat autem in oratione immobilis. et amplexus earum et oscula quasi sagittarum ictus letus scuto sue fidei excipiens. clamabat ad dominum dicens. Exurge domine in adiutorium michi. dic anime mee salus tua ego sum. Quis enim istam pugnam a dyabolo excitatam vincere prevalet. nisi tua pro eo fuit dextera dimicatrix. Errat qui putat castitatem perfectam suis viribus obtinere. nisi enim tuo ymbre flamme fuit corporalis sentencie excidatur. non potest animus pervenire quo pergit. Libido enim est bestia maligna. que in silva huius seculi ad devorandas animas per carnem et dyabolum incitatur. qui eius morsum evaserit. tunc deo gratias referet. quia tuum est quod evasit. Sic beatissimus famulus tuus Ioseph. quem plangebat pater suus dicens. bestia mala rapuit Ioseph. bestia maligna comedit illum. et noluit penitus consolari in eo. Certe seductus est famulus tuus domine Iacob. quem nichil latebat. Quare ergo dum dixerunt ei filii sui. agnosce si tunica filii tui est. non